



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XII. De Conscientiâ dubiâ circa Irregularitatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

ut voluntas in illam feratur.

270. Respondeo argumentum bene probare de pœnâ cognitâ, aut debitâ cognosci, & delicto proportionatâ; nam qui hoc delictum admittit, se tali pœnâ subijcere agnosce debet; & sic qui vult antecedens, vult etiam consequens, quod novit, aut nosse debet ex illo subsequi. Non ita accidit quando pœna est extraordinaria, qualis est excommunicatio. Imò licet in cæteris pœnis id locum haberet; non ita in hac, quæ cum sit ultima, & medicinalis, postulat ultimam contumaciam, quæ sine prævia notitia de tali pœnâ dari non potest.

271. Instabis: Ex D. Thom. in 4. dist. 18. quest. 2. art. 5. quest. 2. in hoc differunt culpa, & pœna, quod culpa principium sit intra nos, quatenus omne peccatum est volitum; pœnâ autem sit extra nos, quatenus ad illam non requiritur voluntas, imò de ratione illius est, ut voluntas repugnet; ergo ut pœna incurratur, non requiritur illius præcognitio. Respondeo pœnam in se ipsa esse quidem involuntariam; debere tamen esse volitam, saltem in causâ, ut incurratur, quia debet amari delictum ut esse illius causa, quod est esse volita in causâ; sicque debet illius notitia, saltem in excommunicatione præmitti.

272. Objicies 2. Si hoc esset verum, sequeretur, infideles, pœnam inferni peccato mortali esse debitam ignorantes, ab ipsâ eximi; hoc autem non est dicendum; ergo neque illud, ex quo sequitur. Respondeo negando sequelam; siquidem pœna inferni est ordinata, & peccato mortali proportionata.

273. Objicies 3. Ex Matt. 18. ubi potestas excommunicandi est concessa, ut quis habeatur tanquam Ethnicus, id est, excommunicatus, solum petitur, ut Ecclesiam non audiat; sed qui delictum committit, cui annexa est censura, licet hanc ignoret, Ecclesiam non audit; ergo &c. Respondeo locum illum intelligendum de eo, qui Ecclesiam non audierit pertinaciter, & ultimam contumaciam habuerit, prout supra diximus habendam esse, ut talis pœna incurratur.

274. Inferes: Ergo soli viri docti juris excommunicationes incurrerent; multiq; hæretici non essent excommunicati, cum plerisque excommunicatio lateat. Respondeo 1. P. Sanchez lib. 9. de Matr. d. 32. num. 14. omnes, si invincibiliter excommunicationem ignoraverint, omnes illâ minime ligari.

275. Hinc sequitur primò, qui dubius est de percussione notoriâ Clerici, non teneri vitare percussorem. Ita P. Hurt. d. 11. de excommunic. diff. 3. num. 10. & cum eo Diana part. 4. tract. 3. resol. 71. qui idem affirmant de excommunicato jam denunciato, quamdiu non datur notitia moraliter certa, quod illius excommunicatio sit expressè & specialiter denunciata. Secundò, qui dubitat, se esse excommunicatum, posse audire Sacrum, & alia excommunicatis prohibita facere, aliosque cum eo communicare, ac si excommunicatus non esset. Ita Diana cit. resol. 66. Tertiò, quæ hætenus diximus de excommunicatione dubia, etiam prorsus dicenda esse de suspensione, & interdicto dubiis, utpote in quibus eadem rationes militent. Ita P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 10. n. 62.

SECTIO XII.

De Conscientiâ dubiâ circa Irregularitatem.

DIFFICULTAS 1. Utrum in dubio juris, aut facti de delicto, cui annexa est irregularitas, censendus quispiam sit irregularis. Certum in primis est, non esse licitum operari contra irregularitatem dubiam ante factam diligentiam. Ita P. Soar. tomo 5. in 3. part. d. 40. sect. 5. num. 12. P. Sal. 1. 2. tract. 10. d. unica sect. 18. num. 164. & 165. P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 10. n. 37. Primò, quia sic operans exponitur manifesto periculo violandæ irregularitatis. Secundò, quia in dubio, an res sit licita, & in dubio præcepti, nefas est operari contra tale præceptum ante adhibitam diligentiam; irregularitas autem includit præceptum abstinendi ab Ordinum actibus; ergo &c.

277. Hoc tamen limitant P. Sal. & P. Sanchez cit. dummodo, dum hujusmodi dubium examinatur, magnam iacturam quis non patiat se irregularem reputando, ut quia præterit occasio beneficii consequendi, Ordinum suscipiendorum, aut magni lucri; siquidem cum tale dubium nequeat ita citò examinari, lex non obligat in dubio cum tanto onere. Cæterum P. Sanchez cum non reputet notabile damnum præterire occasionem suscipiendi Ordines; hoc damnum non excuset ab irregularitate, si quis cum prædicto dubio Ordines susceperit.

278. Tota igitur difficultas est, quando post factam diligentiam, adhuc manet res dubia, an scilicet tunc in dubio, siue juris, siue facti homicidii censendus sit quispiam irregularis? Variæ sunt in hac re sententiæ. Prima sententia tenet in dubio siue juris, siue facti, neminem esse irregularem in foro conscientiæ, sed exigì declarationem iudicis, ut hæc irregularitas incurratur. Ita Innocent. in cap. Ad audientiam, de Homicidio, P. Henric. lib. 14. de Irregular. cap. 3. num. 3. & 4. & cap. 14. n. 13. & cap. 15. n. 3. & non improbabile dicunt P. Soar. tomo 5. in 3. p. d. 40. sect. 6. num. 10. P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica, sect. 6. num. 60. P. Rebel. de Just. part. 2. lib. 1. quest. 3. sect. 2. n. 13. Medin. lib. 1. sum. cap. 11. §. 11. fine.

279. Fundantur primò, quia in dubio melior est conditio possidentis; sed homo in præsentì possidet suam immunitatem ab irregularitate; ergo &c. Respondeo illam regulam non suffragari in casu irregularitatis, sed in aliis à jure non expressis; hic autem exprimitur à jure, ubi deciditur, in dubio facti censendum esse quempiam irregularem, ut ex infra dicendis constabit.

280. Fundantur secundò, quia ex Regul. In pœnis, de regul. jur. in 6. pœnæ sunt mitius interpretandæ; sed irregularitas est delicti pœnæ; ergò mitius est interpretanda, ita ut non censeatur in dubio contrahi in foro conscientiæ. Respondeo negando consequentiam; irregularitas enim, licet sit pœna, cum tamen sit pœna jure obligante in utroque foro expressa, in illa non habet locum illa mitior interpretatio, ita ut non obliget in utroque foro.

281. Fundantur tertiò, quia textus illam in dubio facti statuentes, videntur clarè loqui in foro externo, ut in cap. Ad audientiam, de Homicidio, ibi: Vos convenit injungere Presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret: quæ verba ad Judicem referuntur, sicque videtur exigì illius sententia declaratoria, ut illa irregularitas in dubio censeretur incurra; ergo &c. Confirmatur ex cap. Significasti, eodem tit. ex quo etiam P. Pal. cit. probat idem assumptum.

Respondeo negando antecedens quoad utrumque textum citatum, ut ex dicendis constabit.

282. Secunda sententia docet in hoc dubio censeri hunc hominem irregularem in foro interno; non autem in externo. Ita Host. cap. Ad audientiam, cit. fin. & ibi Joan. And. n. 5. Anton. sine. Anchor. n. 15. Anan. sine. Sylvest. verb. Homicidium 3. q. 1. Ar. mil. verb. Irregularitas n. 8. & 9. Tabien. ibid. 1. q. 3. n. 4. Majol. lib. 1. de Irregul. cap. 2. n. 3. regul. 7. & lib. 5. cap. 51. num. 10. vers. Secundo limitatur. Rodrig. tom. 1. sum. cap. 157. n. 3. Cardin. in cap. Ad audientiam, cit. n. 77. Navar. sum. cap. 27. n. 194. Ledesm. 2. p. 4. q. 26. art. 2. tract. de irregul. in 2. regul. Philiar. tom. 1. de off. sacerdot. p. 1. lib. 4. cap. 6. notab. 2.

283. Fundantur, quia in foro conscientiae semper quis videtur obligatus amplecti in dubiis tutiorem partem, cum in illa sequenda nullum sit periculum: in foro autem externo, quamdiu delictum non probatur, absolvendus est Reus, cui in dubio potius, quam Actori favendum est ex Regul. 11. Cum sunt de regul. jur. in 6. ergo &c. Respondeo illud principium, & regulam esse veram, quando non est aliquid jus poenam illam delicto etiam dubio statuens, quale est in casu homicidii, ut videbimus.

284. Tertia sententia defendit, hunc in praedicto dubio, sive juris, sive facti in foro Conscientiae censendum esse irregularem, quatenus tenetur tutiorem partem sequi: idemque similiter in foro quasi poenitentiali, ubi non agitur ad poenam propriam, sed ut hic ab ordinum ministerio absteineat: secus autem in foro contentioso, ubi pure agitur de poena imponenda. Fundatur, quia poena in delicto dubio imponi nequit. Ita Abb. in cap. Ad audientiam cit. n. 2. & ibi Marian. Soncin. q. 3. n. 18. Felin. n. 1. Anan. in cap. Significasti, cit. n. 23. Resol. sum. verb. Dubia, n. 1. Angel. ibid. n. 2. Sylvest. q. 4. n. 7. Tabien. q. 2. n. 3. Vega tom. 2. sum. cap. 15. casu. 28. Hæc tamen sententia nostræ non adversatur, ut ex dicendis patebit.

285. Quarta sententia affirmat in utroque foro esse hunc irregularem, sive dubium sit juris, sive facti, non solum ad effectum querendi dispensationem, & abstinentiæ a celebratione, sed etiam ad effectum, ut Juxta illum ut irregularem condemnent. Ita Navar. cap. Si quis autem de Poenit. n. 53. Covar. in Clem. Si furiosus, n. 3. P. Soar. tom. 5. in 3. p. d. 40. sect. 6. n. 1. P. Avil. 7. p. d. 2. dub. 5. conclus. 1. P. Henrig. lib. 14. cap. 3. n. 4. P. Vasq. 1. 2. d. 65. cap. 3. & d. 66. cap. 1. P. Sal. 1. 2. tr. 8. d. unica, sect. 19. num. 170. P. Hurt. diff. 3. & 4. quos citat, non tamen sequitur P. Pal. d. 6. de censur. punct. 3. n. 6.

286. Fundantur, quia in dubio facti deciditur in cap. Ad audientiam, cap. Significasti, 2. & cap. penult. de Homicid. Et ratio ibi est, quia in dubio pars tutior est eligenda, quod principium ut naturale ibi supponitur, & illi innitendo deciditur, hunc esse irregularem; sed simile animæ periculum militat, quando dubium est juris, nisi hic sequatur partem tutiorem, reputans se irregularem; ergo &c. Respondeo negando minorem; nam quando dubium est juris, sumus certi non esse expressam in jure irregularitatem, sed id jus dubium esse; hoc autem est sufficiens principium ad credendum, hunc non esse irregularem, cum irregularitas non incurratur, nisi sit in jure expressa juxta cap. Is, qui de sent. excommun. in 6.

287. Nilominus quinta sententia, quam ut probabilior sequimur, sic distinguit. Aut dubium est juris, nempe, quia non constat irregularitatem jure statutam esse in eo casu, & tunc in neutro foro est quis irregularis censendus: aut dubium est facti,

quia scilicet certum est irregularitatem esse jure statutam in eo casu, nempe homicidii, dubium tamen est, an hic in eum casum inciderit, nempe an fuerit verus homicida: & tunc in utroque foro est censendus irregularis. Utraque pars est communis.

Probatur prima pars in dubio juris: Primò ex cap. Is, qui de sent. excommun. in 6. in quo deciditur, ubi jus est apprensus, aut simile, non sufficere ad irregularitatem inducendam, cum non sit prout sic in jure expressa; ergo à fortiori non sufficit, quando jus fuerit dubium. Confirmatur ex cap. Ad audientiam, cap. Significasti, 2. & cap. penult. de Homicid. in quibus cum inducatur irregularitas in dubio homicidii, solum inducitur in dubio commissi homicidii, sicque in dubio facti; ergo cum nulum sit jus quod illam statuatur in dubio juris, non est pro sic statuenda.

Probatur secundò, quia Juxta debet secundum jus sententiam proferre; ergo si in foro externo non constet esse jus imponens irregularitatem, non poterit Juxta aliquem ut irregularem damnare; ergo neque hic in foro conscientiae ut irregularem damnabitur; cum mitius agatur in foro interno, quod est forum misericordiae, quam in externo, in quo agitur de punitione delicti. Confirmatur, quia in poenis ipso jure inflictis, qualis est irregularitas, ipsemet delinquens est sibi Juxta, qui contra se sententiam proferat, & exequatur; ergo ei integrum erit in Conscientia, uti eodem juris principio, ut cum jus est dubium, se potius absolvat, quam damnet; sicque non censetur irregularis in foro conscientiae.

Probatur tertio, quia lex non obligat, nisi fuerit sufficienter promulgata; sed dubitanti non est lex irregularitatis sufficienter promulgata; siquidem ei non constat esse in jure expressam; ergo &c. Ita quoad hanc primam partem tenent Navar. cap. Si quis autem de Poenit. dist. 7. Covar. Clem. Si furiosus. De homicid. 1. p. n. 3. Plaz. a. de delict. cap. 12. n. 11. Mena. var. q. lib. 1. q. 9. n. 18. Sayr. tom. 1. de Cens. lib. 6. cap. 2. n. 16. & in clavi, lib. 1. cap. 13. m. 23. & 24. Lud. Lopez, 2. p. cap. 22. de irregul. P. Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 19. q. 10. fin. & q. 11. P. Soar. tom. 5. in 3. p. d. 40. sect. 5. n. 18. & 19. & sect. 6. a. n. 1. P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica, sect. 10. n. 170. & 171. P. Rebel. de just. p. 2. lib. 3. q. 3. sect. 2. n. 13. P. Valent. 4. p. d. 7. q. 19. punct. 2. notab. 3. quos citat, & sequitur P. Sanchez. lib. 1. de cal. cap. 10. n. 42. tenent etiam P. Mol. tr. 3. de just. d. 67. n. 5. P. Egid. d. 18. dub. 1. de irregul. P. Baumy. dub. 2. n. 11. P. Avil. p. 7. d. 2. dub. 4. P. Pal. d. 6. de Censur. punct. 3. n. 7. P. Reginal. P. Filliu. P. Toler. P. Sa. & alii, quos citat, & sequitur Leand. tom. 5. d. 1. q. 15.

Probatur secunda pars in dubio facti: Primò, quia ita deciditur in cap. Ad audientiam, cap. Significasti 2. & cap. penult. de homicid. quod cum justum sit, nec falsa præsumptioni innitatur, obligat in utroque foro; sicut obligat quæcumque lex justa; ergo &c. Secundò, quia in utroque foro idem judicandum est, quando forum externum non innititur falsa præsumptioni; sed hujusmodi homo damnabitur ut irregularis in foro interno juxta horum textuum decisionem, & non ex falsa præsumptione, cum constet homicidium esse dubium; ergo similiter erit damnandus in foro interno Conscientiae. Ita quoad hanc secundam partem tenent Navar. Covar. Plaz. a. Mena. Sayr. Ludou. Lopez, P. Azor. P. Soar. P. Sal. P. Valent. P. Rebel. P. Sanchez. P. Pal. P. Avil. P. Mol. P. Egid. P. Reginal. P. Baumy. Leand. & alii supra cit. Dian. q. 4. tr. 2. Resol. 52. Bonacina q. 1. de Irregul. punct. 5. n. 3. Villalob. tom. 1.

tom. 1. sum. diff. 22. tr. 1. n. 1.

192. Argues 1. Textus proximè allegati videntur clare loqui in foro externo, prout supra notavimus n. 281. ergo in dubio facti homicidii, dubitans non est censendus irregularis, donec per sententiam iudicis declaratur esse irregularem. Respondeo, licet irregularitas sit pœna, esse tamen pœnam talis naturæ, ut non egeat iudicis sententiâ ad hoc, ut incurratur; quæ doctrina colligitur ex cap. Significasti, 2. cit. licet enim ibi: *A sacerdotali officio abstinere debet*; verbum autem debet importat regulariter præceptum; ergo signum est incurrere irregularitatem in foro Conscientiæ, & ante iudicis sententiam.

193. Argues 2. Si tradita doctrina esset vera, sequeretur, hoc idem dicendum esse in dubio facti mutilationis; consequenterque dubitantem, an aliquem mutilaverit, censendum esse irregularem in utroque foro; sed hoc non videtur admittendum; ergo neque illud, ex quo sequitur. Respondeo primò concedendo sequelam; nam in materia irregularitatis homicida, & mutilator æquiparantur; sic enim in cap. Si quis absciderit dist. 55. mutilator dicitur homicida, quatenus mutilatio est quædam partialis occisio, nempe membri abscissio. Ita Gloss. in Clem. Si furiosus, de homicid. verb. Murlet. & ibi Covar. Rosel. verb. Homicidium 4. n. 1. Angel. ibid. n. 3. Sylvest. ibid. 3. q. 4. dicto 1. Tabien. verb. Irregularitas 1. n. 5. Armil. ibid. num. 4. Navar. sum. cap. 27. n. 206. P. Henric. lib. 1. cap. 3. n. 4. & cap. 14. quos citat, non tamen sequitur P. Sanch. lib. 1. de decal. cap. 10. n. 49.

194. Respondeo secundò negando sequelam; diversa ratio est, quia mutilatio non est proprie homicidium; jura autem in solo dubio facti homicidii hanc irregularitatem statuunt, quæ cum sit pœna, & adeo rigida, non est extendenda ad dubium facti de mutilatione, cum odia potius sint restringenda. Ita P. Sanch. cit. P. Soar. tomo 5. in 3. part. d. 40. secta 5. n. 14. P. Filluc. tract. 19. cap. 2. num. 47. P. Banny. quest. 4. de Irregul. P. Pal. d. 6. de Cens. punct. 3. fine. Bonacina quest. 1. de Irregul. punct. 5. num. 4. Barbof. in cap. Ad audientiam, cit. n. 4. & alii, quos citat, & sequitur Leand. tomo 5. tr. 1. d. 1. q. 17.

195. Argues 3. Si quis in dubio facti homicidii foret irregularis, etiam irregularis foret dubitans an iuste occiderit in bello iusto; sed hic non est censendus irregularis; ergo neque ille. Confirmatur ex cap. penult. de Homicidio, ubi Præbyter pugnans contra infideles in bello iusto damnatur in hoc facti dubio tanquam irregularis. Respondeo cum P. Henric. lib. 14. de Irregul. cap. 3. n. 4. ad finem, & P. Sanch. lib. 1. de decal. cap. 10. num. 50. negando maiorem quoad secundam partem; neque enim ille foret censendus irregularis; siquidem cap. Ad audientiam, & cap. Significasti, 2. de Homicid. statuentia hanc irregularitatem in dubio facti homicidii sub ratione homicidii non intelligunt occisionem iustam, qualis est, quæ fit in bello iusto; & qualis est, quæ fit ab homine, sive laico, sive clerico in sui iustam defensionem; nullus enim in hoc casu fit irregularis, neque in foro interno, neque externo, ut cum multis tenet Leand. tomo 5. tract. 2. d. 12. quest. 1. & 2. qui idem affirmat de occidente ministros iustitiæ, si iniuste conentur illum iniuste occidere, aut capere, ut iniuste occidant; idque etiam si sciat eos esse in peccato mortali: non tamen teneri sub mortali illos sic iniuste invadentes occidere, ut se defendat. Ita cum aliis Leand. cit. q. 4. 6. & 7.

196. Neque obstat cap. penult. de Homicid. quia cum ille non posset propriâ manu pugnare, utpote

Præbyter; Præbyteris autem sit prohibitum, sicut & aliis Clericis, pugnare propriâ manu, dabat operam rei illicitæ, ideoque tanquam irregularis damnabatur. Quod autem Clericis sit prohibitum, non jure Divino, ut aliqui Canonistæ affirmarunt, sed jure positivo, propriâ manu pugnare, constat ex cap. Clerici, cap. Quicumque, 13. q. 8. cap. Ne Clerici, vel Monachi, & cap. Ex multa, de foro, § ult. tenentque cum D. Thom. 2. 2. quest. 40. art. 2. D. Anton. 3. part. tit. 18. P. Soar. d. 47. sect. 6. num. 7. & de Charit. d. 13. sect. 3. Sayr. lib. 6. cap. 19. num. 1. & 2. P. Henric. lib. 14. cap. 13. P. Filluc. tract. 19. cap. 10. P. Egid. d. 18. cap. 10. à num. 97. & d. 316. dub. 6. n. 86. P. Turrian. P. Pal. de Cens. d. 6. pun. 14. §. 5. & tomo 1. d. 5. tract. 6. punct. 8. & alii, quos citat, & sequitur Leand. tomo 5. tr. 2. d. 7. quest. 105. qui etiam quest. 106. hanc prohibitionem extendit ad omnes Clericos, etiam in minoribus constitutos, & ad Religiosos laicos, dicitque obligare sub mortali Clericos in sacris constitutos, alios verò attempto solo jure communi, ex consuetudine autem nec venialiter peccare; posse tamen Pontificem cum omnibus dispensare, sicut dispensare potest in omni præcepto humano, & Ecclesiastico.

Difficultas 2. Utrum non solum in dubio facti homicidii, sed etiam in dubio aliorum delictorum, quibus adjuncta est Irregularitas, debeat qui in utroque foro se habere ut irregularem? Negativè. Ita Navar. cap. Si quis autem, de pœnit. dist. 7. num. 41. P. Soar. tomo 5. in 3. part. d. 40. sect. 6. à num. 9. P. Sal. 1. 2. tr. att. 8. d. unica, sect. 18. num. 168. P. Sanch. lib. 1. de decal. cap. 10. num. 48. P. Avil. p. 7. d. 2. dub. 5. conclus. 2. P. Egid. d. 18. dub. 2. num. 22. P. Henric. lib. 14. cap. 3. num. 4. P. Pal. d. 6. punct. 3. n. 90. P. Laym. lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4. num. 3. Diana p. 4. tr. 2. resol. 52. & alii, quos citat, & sequitur Leand. tomo 5. tract. 1. d. 1. quest. 18. Probatur primò, quia ex cap. Is, qui, de sentent. excomm. nullo modo contrahitur irregularitas, nisi in casibus in jure expressis; sed in jure, ultra casum homicidii, non est expressum in dubio facti irregularitatem incurri; ergo asserenda non est. Confirmatur, quia in pœnis mitior pars est amplectenda; sed hæc est mitior, & suavior; ergo &c.

Probatur secundò, quia in dubio delicto omnia jura clamant Reum absolvendum esse. Regul. Favorabiliores, 168. ff. de regul. jur. & Regul. Cum sunt, 11. de regul. jur. in 6. ubi Gloss. verb. Cum sunt, ait, ex quo Actor non probat delictum, Reum esse absolvendum; sed quoties factum manet dubium, manet delictum non probatum; ergo tunc absolvendus est Reus; licet alia pars sit etiam æquè dubia. Probatur tertio, quia in dubio juris nemo censendus est irregularis, ut supra diximus num. 288. sed re bene perpensa, hoc dubium est juris; siquidem dubia res est, an jus in aliis factis præter homicidium, quando hæc dubia sunt, statuerit irregularitatem; ergo in hoc dubio nullus censendus est irregularis.

Oppositum sentiunt Ranormit. in cap. Ad audientiam, de Homicid. num. 2. Marian. Soncin. ibid. num. 18. Rosel. verb. Dubia, n. 1. Angel. verb. Dubium, Sylvest. ibid. quest. 4. num. 7. Tabien. quest. 2. num. 3. P. Vasq. 2. d. 65. cap. 3. num. 13. & 9. & d. 66. cap. 1. per totum. P. Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 19. quest. 10. fin. Covar. in Clem. Si furiosus, de Homicid. 1. part. n. 3. Lud. Lopez 2. part. cap. 22. de Irregul. Sayr. tomo 1. lib. 6. de Censur. lib. 6. cap. 2. n. 16. & in clavi lib. 1. cap. 13. n. 23. & 24. P. Valent. 4. p. d. 7. q. 19. sum. 2. notab. 3. P. Furr. d. 15. dub. 1. de Irregul. diff. 4. n. 19. & alii, Pro quibus: Obijciens 1. Lex, quamvis pœnalis,

extendenda est ad casus similes, in quibus invenitur ratio expressa in lege, ut docent Abb. cap. fin. de Rescript. num. 10. & 11. & cap. Nihil, de Elect. n. 9. Covar. Alima mater. 2. part. §. 4. num. 7. Sylvest. verb. Lex, quest. 18. & cum aliis P. Sanch. lib. 3. de Matr. d. 42. num. 4. Sed in dubio alterius facti datur eadem ratio, quæ datur in dubio facti homicidii; ergo &c. Respondeo negando majorem, si extendenda sit ad pœnam incurrendam; siquidem lex quoad pœnam incurrendam non pendet omnino à ratione, sed etiam ex voluntate legislatoris talem pœnam statuentis, quod maxime procedit in irregularitate, quam cap. Is, qui, de sent. excommun. statuit non esse inducendam ex rationis similitudine, nisi sit in jure expressa.

300. **Obijcies 2.** Lex, quamvis pœnalis, si sit lata in animarum favorem, nempe ad vitandum peccati periculum, non censetur odiosa, & restringenda, sed favorabilis, & amplianda, ut docent Host. cap. penult. Qui filii sint legitimi, sine, & ibi Joan. Andr. num. 5. Anton. num. 9. Anchar. num. 5. Abb. n. 5. & 6. Henric. num. 10. Nevo num. 7. & cum multis aliis P. Sanchez lib. 1. de Matr. d. 39. num. 5. Sed talis est hujusmodi lex; ergo extendenda est ad casus non expressos. Respondeo majorem non posse procedere in lege inducente irregularitatem ob rationem adductam proximè: præsertim, quod sequendo hanc partem, nullum sit animæ periculum; siquidem in hoc dubio potest quis valde probabiliter credere ob rationes adductas se non esse irregularem.

301. **Obijcies 3.** Pontifex decernens in dubio facti homicidii quemlibet reputandum esse irregularem, nititur illi principio: *In dubiis tutior pars est eligenda*; sed hoc principium æquè in aliis materiis, ac in homicidio procedit; ergo &c. Respondeo Pontificem non inniti ei principio tanquam necessariò obliganti in omnibus materiis, sed tanquam principio, quod observari maxime decet. Unde licet hoc principium commune sit omnibus materiis, in quibus consilium prudentissimum est partem tutiorem sequi, quia tamen in irregularitate homicidii efficacius procedit ob specialem indecentiam, quam secum affert homicidium in Clericis, idèò disposuit Pontifex, ut in dubio homicidii censetur quis irregularis, quam dispositionem ad alias materias non extendit.

302. **Obijcies 4.** Pontifex attentà illorum textuum decisione, non videtur novum aliquod jus statuere circa speciale dubium facti homicidii, sed quod æquitati, & naturali rationi conforme est declarare; atqui declarat tutiorem partem esse eligendam; ergo in omnibus materiis eligenda est. Respondeo negando majorem; ibi enim non declarat, tutiorem partem esse eligendam necessariò, sed supponens tutiorem partem ex consilio sequendam esse, statuit dubitantem de homicidio censendum esse irregularem. Ita P. Pal. d. 6. Censur. pun. 3. n. 10.

SECTIO XIII.

Aliqua circa præcedentem doctrinam deciduntur.

303. **DIFFICULTAS 1.** An qui causam abortus præbuit, casu quo sit dubium, an foetus sit animatus, censendus sit homicida, & irregularis? Affirmativè. Ita Navar. sum. cap. 27. num. 223. Joan. Andr. cap. Sicut, 2. de Homicid. num. 3. & ibi Abb.

n. 7. Cardin. Anchar. Ananias num. 7. Soncin. cap. Ad audientiam. de Homicid. q. 36. num. 217. Sylvest. verb. Abortus fin. Ledesin. tr. de Irregul. fol. 365. Philarch. de off. Sacerd. tom. 1. p. 1. lib. 4. cap. 11. notab. 4. Rodrig. tom. 1. sum. cap. 175. n. 4. & cum illis P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 10. n. 43. quibus addi possunt Sor. in 4. dist. 25. q. 1. Sayr. lib. 6. cap. 15. n. 9. P. Avil. p. 7. d. 2. dub. 5. conclus. 1. P. Henric. cap. 3. n. 4. lit. G. Barbos. in Collectan. tom. 2. lib. 5. tit. 12. n. 15. Dian. P. Bauny, & alii, quos citat, & sequitur Leand. tom. 5. tract. 2. d. 11. q. 10. contra Moura. Gomez. Gibalin. P. Præposit. P. Pellizar. qui oppositum tenent, & dicit probabile Dian. p. 4. tract. 2. Resol. 16. Probatur, quia ut supra diximus ex cap. Ad audientiam, cap. Significasti 2. & cap. penult. de Homicid. in dubio facti homicidii censendus est quis homicida, consequenterque irregularis; sed in proposito casu, qui præbuit causam abortus, est dubius dubio facti homicidii; ergo censendus est irregularis.

Hinc deducitur primò, illicitum esse procurare abortum foetus, etiam non animati ad tuendam famam, aut honorem fœminæ etiam nobilis, ut docent P. Azor. tom. 3. lib. 1. cap. 4. quest. 1. P. Sanchez de Matrim. lib. 9. d. 20. num. 20. P. Tanner. 2. d. d. 4. quest. 8. dub. 4. num. 58. P. Lugo de Just. tomo 1. d. 10. num. 130. & alii. Non tamen qui ita abortum foetus inanimati causaret, censendus esset irregularis; siquidem non esset propriè homicida, cum hominem non interficeret. Ita ex cap. Sicut ex litterarum, de Homicid. cap. Quod verò, 32. quest. 2. l. Divus, ff. de extraordin. crim. & l. Cicero, ff. de Panis tenent Doctores. Maxime autem, & homicida, & irregularis censendus erit qui causavit abortum post quadragesimum diem à conceptione; siquidem tunc etiam in dubio, an foetus sit masculus, vel fœmina, præsumi debet masculus, quatenus natura semper, quod est perfectius, intendit; masculus autem foetus (ordinariè loquendo) eo tempore perficitur, ut animetur; quando verò foetus præsumitur animatus, debet quis reputari irregularis, & homicida, si abortum procurer.

Deducitur secundò, quando aliud non suppetit remedium pro salute matris tuenda, licitum esse procurare abortum foetus inanimati tam indirectè, quam directè; siquidem in tali casu foetus est quodammodò aggressor, seu causa efficiens mortis in matre; sicque naturali jure, & absque periculo irregularitatis, licet illum expellere, si non dum sit animatus. Ita D. Anton. Sylvest. Covar. in Clem. si furiosus de Homicid. Navar. Aragon. Sayr. P. Henric. P. Reginal. P. Laym. P. Sanch. lib. 9. de Matr. d. 20. n. 20. & alii, quos citat, & sequitur Dian. p. 3. tract. 5. Resol. 11. & p. 5. tract. 14. Resol. 90. Imò idem dicendum est, licet jam foetus sit animatus, dummodò remedium tendat directè ad sanitatem matris, solum autem per accidens timeatur foetus occisio. Ita P. Sanch. Navar. P. Less. lib. 2. de just. cap. 9. dub. 10. P. Valsq. P. Lugo, Sayr. & alii, quos citat, & sequitur Leand. tom. 5. tr. 2. d. 11. q. 4.

Deducitur tertio, qui abortum foetus jam animati directè intendit, & causat, homicidam, & irregularem esse; & si ab altero paritè fiat, habere circumstantiam parricidii; puniri que hoc crimen à jure civili pœnâ ordinariâ homicidii, si dolo; extra ordinariâ autem, si absque dolo committatur; siquidem qui abortum animatum causat, verè, & propriè committit homicidium; quia verè, & propriè hominem enecat; homicidium enim à cæde hominis dicitur ex cap. Homicidium, de penitent. dist. 1. & cap. Homicidium, 23. quest. 5. Ita omnes Theo;